OFFICIVM
S. VINCENTII
FERRERII
CONFESSORIS;
ORDINIS PRÆDICATORVM.
Semiduplex.

A Sac. Rit. Congr. recognitum, et approbatum.

De mandato Sanctissimi D. N. CLEMENTIS Papæ IX. in Breuiario Romano apponendum.

Et ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ad libitum die 5. Aprilis recitandum.





ROMAE, Ex Typographia R. Cameræ Apost. 1668.
Superiorum permissu, & Priuilegio.

IN FESTO

S. VINCENTII FERRERII

Ordinis Prædicatorum.

Semiduplex, & ad libitum.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem propriam, & Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam beati Vincentij Confessoris tui meritis, & prædicatione illustrare dignatus es, concede nobis famulis tuis, vt & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus eius patrocinio liberemur aduersis. Per Dominum nostrum &c.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

VIncentius honesta stirpe Valentiæ in Hispania natus ab ineun-

eunte ętate cor gessit senile. Qui dum caliginosi huius seculi labilem cursum pro ingenij sui modulo consideraret, Religionis habitum in Ordine Prædicatorum decimo octauo ætatis suæ anno suscepit, & emissa solemni professione sacris literis sedulò incumbens Theologiæ lauream summa cũ laude consecutus est. Mox obtenta à Superioribus licentia verbum Dei prędicare, Iudęorum perfidiam arguere, Saracenorum errores confutare tanta virtute, & efficacia cœpit, vt ingentem ipsorum infidelium multitudinem ad Christi fidem perduxerit, & multa Christianorum millia, à peccatis ad pœnitentiam, à vitijs ad virtutem reuocarit. Electus enim à Deo, vt monita salutis in omnes gentes, tribus, & linguas diffunderet, & extremi, tremendique iudicij diem appropinquare ostenderet, omnium auditorum animos terrore concussos, atque à terrenis affectibus auulsos ad Dei amorem excitabat.

Lectio v.

IN hoc autem Apostolico munere hic vitæ eius tenor perpetuus fuit. Quotidie missam summo mane cum cantu celebrauit, quotidie ad populum concionem habuit, inuiolabile semper ieiunium, nisi vrgens adesset ne-

cessitas seruauit, sancta, & recta consilia nulli denegauit, carnes nunquam comedit, nec vestem lineam induit, populorum iurgia sedauit, dissidentia Regna pace composuit, & cum vestis inconsutilis Ecclesiæ diro schismate scinderetur, vt vniretur, & vnita seruaretur, plurimũ laborauit. Virtutibus omnibus claruit, suosque detractores, & persecutores in simplicitate, & humilitate ambulans, cum mansuetudine recepit, & amplexus est.

Lectio vj.

Per ipsum diuina virtus, in confirmationem vitæ, & prædicationis eius, multa signa, & miracula fecit. Nam frequẽtissimè super ęgros manus imposuit, & sanitatem adepti sunt: Spiritus immundos è corporibus expulit; Surdis auditum, mutis loquelam, cœcis visum restituit; Leprosos mundauit, mortuos suscitauit. Senio tandem, & morbo confectus infatigabilis Euangelij pręco, plurimis Europæ Prouincijs cum ingenti animarum fructu peragratis Venetiæ in Britannia minori prædicationis, & vitæ cursum feliciter cõsummauit, anno salutis millesimo quadringentesimo decimo nono, quem Calixtus Tertius Sanctorum numero adscripsit.

IN

IN III. NOCTVRNO. Euangelium. Sint lumbi vestri præcincti. de Communi Confessoris non Pontificis.

Missa, Os iusti, Cum oratione propria, Deus, qui Ecclesiam, &c. vt supra.

Cum Sanctissimus D. N. Clemens Nonus sub die 29. Nouembris 1667. ad preces Serenissimæ Hispaniarum Reginæ, & eius nomine Excellentiss. D. Marchionis de Astorga Catholicæ Maiestatis Oratoris ordinarij mandauerit apponi in Breuiario Romano Officium S. Vincentij Ferrerij Ordinis Prædicatorum sub ritu semiduplici ad libitum recitandum ab omnibus Christi fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, tùm Sæcularibus, tùm Regularibus vtriusque sexus; Et cum denuò supplicatum fuerit in Sac. Rituum Congregatione pro approbatione suprascriptarum Lectionum cum Oratione propria dicti Sancti. Eadem Sac. Congregatio supradictas Lectiones cum Oratione diligen-

ligenter reuisas, ad relationem Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Gualterij approbauit, ac recitari, & imprimi posse concessit. Hac die 10. Martij 1668.

M. Episc. Portuensis Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

IN III. NOCTVRNO.
Euangelium. Sint lumbi vestri præcincti. de Communi Confessoris non Pontificis.

Missa, Os iusti, Cum oratione propria, Deus, qui Ecclesiam, &c. vt supra.

Cum Sanctissimus D. N. Clemens Nonus sub die 29. Nouembris 1667. ad preces Serenissimæ Hispaniarum Reginæ, & eius nomine Excellentiss. D. Marchionis de Astorga Catholicæ Maiestatis Oratoris ordinarij mandauerit apponi in Breuiario Romano Officium S. Vincentij Ferrerij Ordinis Prædicatorum sub ritu semiduplici ad libitum recitandum ab omnibus Christi fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, tum Sæcularibus, tum Regularibus vtriusque sexus; Et cum denuò supplicatum fuerit in Sac. Rituum Congregatione pro approbatione suprascriptarum Lectionum cum Oratione propria dicti Sancti. Eadem Sac. Congregatio supradictas Lectiones cum Oratione diligen-